

cismontanis, istorum jugorum intuitu, regionibus, Septentrionalibus isti 40. circiter dierum ventuli adspirant, transmontanae ex altera parte provinciae australes afflare sibi sentiant.

CAP. IV.

Selectu quodam allegatarum haecenus hypothesium facto, nostrisq; qualibuscunq; cogitationibus superadditis, enarrata superius phaenomena ad genuinas suas causas reducere, quoad ejus fieri potest, allaborans.

I. **C**um institutum nostrum hautquaquam fuerit, praesenti Disputatione totam electi argumenti vastitatem & amplitudinem exhaustire, sed generatim solum veras & genuinas mutationum in aere subinde obviarum causas indice quasi digito de longinquo monstrare; neque plura & adhuc specialiora Phaenomena superius enarratis adjungere, neq; plures ex diversis aliis Autoribus hypotheses, particulares praesertim, accumulare vel necessum erat vel consultum; maximè, quia scopus noster hic est praecipuus, ut vanitatem ausuum istorum aequè frustraneorum ac familiarium demonstramus, quibus non ex iis tantum nonnulli, qui coelestium phaenomenorum alioquin haut vulgari peritiâ pollent, sed alii quoque, qui sidera è solis Ephemeridibus nôrunt, ac praeter ☉ & ☽ nulla fortassis unquam in caelo ipso spectârunt, in futura & longinqua tempora praedicere non erubescunt id quod inter Omniscientiae Divinae reservata unicè ponendum fuerat.

II. Ut igitur, missis ambagibus omnibus, vulgarem illam Astrologorum hypothesin ante omnia excutiamus, id primùm in confesso est & extra dubium, annuas istas & ordinarias veris, aestatis, autumnii hyemisque vices, quae in temperatis Zonis distinctè, in caeteris analogiâ quadam, obtinent, à Solè ejusque annuo accessu & recessu ad loci cujusque verticem, & ab illo, dependere, idemque sidus evidenter igneum calore suo exhalationes, tam humidam quam siccam è terrae superficie sublevare, quae deinceps nebulis, ventis, nubibus, pluviis, nivibus &c. aëris mutationibus ac tempestatibus materiam praebent, formas suas & varietatem ab aliis causis particularibus utique expectantem. Hic autem in ipso statim limine Astrologicae hypotheseos offendimus claudicantem valdè consequentiam, quâ duce, eorum quae ante
pedes